



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TIERRADENTROËNSIS** PRAEFECTURA

APOSTOLICA TIERRADENTROËNSIS IN COLUMBIAE

FINIBUS AD STATUM VICARIATUS APOSTOLICI ATTOLLITUR Sollicitam curam pro viribus adhibere solemus ut universa Domini familia spiritualibus praesidiis copiisque affluens magno sit cunctis ipsis fidelibus emolumento eorundemque saluti affatim inserviat. Idcirco nullam Nos interponere moram volumus quin cuncta disponamus ut facilius hoc commodiusque eveniat. Quandoquidem igitur Praefectura Apostolica Tierradentroensis, intra Columbiae fines sita, Congregationis Missionis sodalibus studiose animoseque operantibus, haud parum sucrevit, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, decernimus ut illa quam supra diximus Praefectura ad Vicariatus Apostolici dignitatem attollatur, eodem servato nomine *Tierradentroensi*. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, Archiepiscopum titulo Midilensem legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo decimo mensis Februarii, anno Domini bis millesimo, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	JOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 8, pp. 617-618 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana